



1042.

1042.  
qu



30

31

1157

I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# PLEURITIDE,

QVAM  
AUXILIANTE SUPREMO NUMINE,  
AC CONSENTIENTE

GRATIOSISSIMO, IN INCLUTA SALANA  
SENATU MEDICO,

PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO VVILHELMO

*Graußen /*

PHIL. ET MED. DOCT. PRACT. ET  
CHIM. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMO, FACULT.

MED. SENIORE, ET S. R. I. NAT. CURIOSOR. ACAD.

COLLEGA SPECTATISSIMO,

DN. PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO SUMME OBSERVANDO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN ARTE MEDICA HONORES, IN-

SIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNITER

AC LEGITIME CAPESSENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHAN CHRISTOPH AUSFELD,

PRACTICUS HARBURGENSIS.

AD DIEM JANUAR. M. DC. LXXXI.

*Horis ante & pomeridianis.*

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.





152

PIETRI RITTI

ADIUT. VITE PURIFIC. VITAE  
 ADIUT. VITE PURIFIC. VITAE  
 GRATIOSISSIMO DE INCLITA SALUTE  
 GRATIOSISSIMO DE INCLITA SALUTE  
 DNR. IDOLICHO VITAE  
 DNR. IDOLICHO VITAE  
 PHIL. ET MED. DOCT. ET VITAE  
 PHIL. ET MED. DOCT. ET VITAE  
 CHIM. TOXIC. ET VITAE  
 CHIM. TOXIC. ET VITAE  
 MED. SENIOR. ET VITAE  
 MED. SENIOR. ET VITAE  
 DR. MAGISTRO. VITAE  
 DR. MAGISTRO. VITAE  
 PRO LICENTIA  
 PRO LICENTIA  
 SERENOS. IN ARTE MEDICA HONORIS  
 SERENOS. IN ARTE MEDICA HONORIS  
 SIGNA. ET VITAE  
 SIGNA. ET VITAE  
 JOHANN. CHRIS. ORTH. ALSHELD  
 JOHANN. CHRIS. ORTH. ALSHELD  
 PRACTICUS. HANNOVERENSIS  
 PRACTICUS. HANNOVERENSIS  
 AD. P. HANNOVER. M. D. C. L. X. I.  
 AD. P. HANNOVER. M. D. C. L. X. I.  
 HANNOVER. M. D. C. L. X. I.  
 HANNOVER. M. D. C. L. X. I.







Σὺν τῷ Θεῷ.

# PROOEMIUM.



*Gnorantia Judicis, Augustini effato, calamitas plerumq; est innocentis.* Singularem enim circa administrandam justitiam & infligendas pœnas opus est prudentiâ. Siquidem non minus periculum imminet coronæ, vitæ, ac statibus à justitiâ, si nimis rigorosa illa sit, quàm ab injustitia. Nexis ergò semper incedant manibus justitia & clementia; copulatae inter se sint, ceu partes unius ejusdemque corporis. Periclitatur enim civitas, quæ dictis non sustinetur æquilibriis; præcipitatur consilii corpus temulenti ad instar, nisi æquitatis perpendiculum illud moderetur. Acuto morbo laborant, imò tabescunt urbes, quarum rei publicæ præfiguntur tales, qui medium inter nimium & parum, in quò solò virtus consistit, servare nescii. Sale itaque & scientiæ, sine quâ insipidi, & conscientiæ, sine quâ Tyranni, vel potius diaboli sunt, conditos esse oportet.

Non autem minor prudentia ac diligens casualium observatio, exactaque trutinatio in Medico requiritur; cum hic, non circa damnum resarcibile, sed vitæ irresarcibilem versetur thesaurum. Quapropter ridenda sanè ac deridenda est opinio illorum, qui cum *Thessalo Eralliano* artem esse facillimam, atque sex mensium spatio ad-





disci posse clamitant; vel, qui omnia morborum genera, causasque, semper, indubitateque se ex  $\square$ nâ cognoscere posse imprudenter ac ineptè asserunt. Contrarium sanè vel solus affectus, de quò in præsentiarum agere mihi constitutum, Pleuritis nempe, testatur: Hic profectò cumulus est morborum, cujus causæ ac signa, concomitantiaque symptomata ex  $\square$ a sola si tibi petènda essent, nunquam eum cognosceres. Tot enim symptomata concomitantia hic spectanda sese offerunt, ut, nisi Medicus  $\Theta$ le scientiæ pariter ac prudentiæ sit conditus, nesciat, quid primò, quidque ultimò faciendum; adsunt enim inflammatio, dolor lateris punctorius, febris acuta, tussis, respiratio difficilis, rejectio sputi ac materiæ purulentæ; imò interdum diarrhæa, dysenteria, hæmorrhagiæ & similia innumera circa illum deprehenduntur. Hunc affectum auxiliis & remediis tum propriâ tum alienâ experientia confirmatis jam, jussu GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ, LOCO INAUGURALIS DISPUTATIONIS profligare, quantum temporis & aliarum circumstantiarum permittit ratio, meditabimur. Adsit conatui meo Archiater supremus, Deus Ter Optimus Maximus, ut cedat in sui gloriam, ægrotorum salutem, & Momi detrimentum.

## CAPUT I.

## Definitionem nominalem & realem exhibet.

**N**E contra regulas disputantium peccasse videar, methodum hætenus receptam servo, & Dissertationem hanc à genuina vocum origine auspico, certus, accuratam vocabuli evolutionem non parum ad meliorem rei per-



pertractandæ cognitionem collaturam: Siquidem nō-  
mina rerum involucre sunt, quibus probè evolutis ac in-  
tellectis in ipsius rei penetralia intimiùs ingredi nobis li-  
cet. His itaque vestigiis insistens, in præsentī affectu  
produco.

ETIMOLOGIAM τῆς πλευρίτιδος, quā patet, præ-  
sentem affectum nomen sortiri à parte læsā: scilicet vel  
ἀπὸ τῆς πλευρῆς, vel ἀπὸ τῆς πλεύρης, vel ἀπὸ τῶν πλευρῶν, hoc est  
à membranā costas interiùs cingente, vel latere, aut costis  
affectis. Sciendum tamen tum ab Antiquorum, tum à  
Neotericorum accuratioribus, sicut & à nobis hōc locò  
πλευρητικὸν πᾶσι in specie pro costas cingentis mem-  
branæ, ὑπεζωκὴ dictæ, inflammatione sumi. Atque hinc  
cum diversa hujus etymi derivatio sit, plurima passim  
Pleuritidis inveniuntur

SYNONYMA. Ab *Avenzoaris* interpretibus barbarè  
vocatur Pleurifis; ab *Arabibus* Scausa; *Gallis* dicitur point,  
ou pointe, douleur de coste. *Italibus* pontura, ponta. *Quæ-*  
*Serenus* Telum appellat; quod instar teli, vel rei acutæ  
latus perforare videatur. *Celsus* vocat Lateris dolorem;  
*alii* morbum costalem & lateralem. Hinc *Germani* di-  
cunt das Seitenstechen/ improprie das Seitenwehe.  
Ab effectu quidam vocant, das Brustgeschwer. Quem-  
admodum etiam *Avicenna* hunc affectum vocat Birsen,  
quæ vox Arabica pectoris apostema notat.

HOMONYMIAM quod spectat, sumitur vox Pleuriti-  
dis dupliciter: I. *Improprie*, & quidem non solum gene-  
raliter pro dolore, qui πλευρῶν latus ipsum occupat, à  
quacunque etiam causā, is oriatur & quamcunque par-  
tem occupet, sitque vel legitimus vel spurius, quemad-  
modum *Hippocrati lib. de loc. in hom. text. 24.* alterius pul-



monum partis inflammatio audit Pleuritis; sed etiam quomodo *Paracelsus* latius, præterque usitatum loquendi modum voculæ hujus significatum extendit, aliam capitis, aliam cordis, aliam hepatis, splenis, pulmonum, renum & vesicæ pleuritidem statuens. 2. *Propriè & κατ' ἐξοχήν* pro Inflammatione Pleuræ, seu membranæ duplicatæ costas succingentis accipi consuevit. Hanc, quam veram aliàs practici vocant, tanquam *morbum*.

DEFINIO, quod sit *Inflammatio membranæ costas succingentis, cum dolore lateris punctorio, febre acuta, difficili respiratione, tussi & pulsu durò, ab influxu humorum proveniens.*

Alii definiunt Pleuritidem per *dolorem lateris*, volentes eam esse *Symptoma*, attendentes scilicet ad id, quod maximè manifestum est. Nam dolor lateris punctorius tanquam potius symptoma maximè patientes urget. Alii, inter quos *Argentarius* morbis quidem accensent Pleuritidem, sed per *tumorem p. n.* definiunt. Verùm quanquam facilè concedam, affectum hunc, si inflammatio convertatur per suppurationem in abscessum, respectu tumoris morbis organicis, nec non unitatis solutæ haud incommodè accenseri posse: attamen cum nonnunquam materia dissipetur, nullo sequente abscessu, melius similiarium partium morbis pleuritidem annumerandam & inflammationem dicendam esse existimo.

PRO GENERE igitur agnosco *Inflammationem*. Nihil auctoritate *Gal.* qui *δ. aph. 33.* ait: *Φλεγμονή μὲν γὰρ ὄρεται πὸν ὑπερωκότα κατὰ μέρων ὑμένα ἢ τῶν πλευρτικῶν Διάφρασις.* Est enim *Inflammatio membranæ costas succingentis Pleuriticorum affectus*: Et ratione, quod insignis calor ab ex-

stuan-



fluante sanguine perpetuò in pleuriticis præfens, deinde  
affidua febris eam satis demonstrare videantur. Exqui-  
fita hæc est inflammatio, quæ ἐκ ρέματι περιεῖ, ex cali-  
da fluxione membrum occupante, contingit, tumorem,  
ruborem, doloremque tensivum ac punctorium, verbò  
συνδεσμὴν symptomatum conjunctam habens.

Per Inflammationem ergò hóc locò non tantùm  
antiquorum Φλόγωσιν, seu Inflammationem ἄνυλον &  
ξυρραν siccam; citra materiæ affluxum & tumorem obor-  
tam: Sed etiam Φλεγμονήν, hoc est, Inflammationem  
ύγραν, humidam, seu ut alii loqui malunt, humoralem in-  
telligo: In qua tum calor flammeus, tum etiam magni-  
tudo aucta seu tumor, rubor, ac pulsus durus cum do-  
lore est.

Dixi Inflammationem hanc conjunctam habere  
Tumorem, Ruborem, ac Dolorem tensivum vel puncto-  
rium. Ruborem quidem & tumorem non semper à sen-  
sibus externis deprehendi posse, nisi muscoli inter costa-  
les in graviore Pleuritide simul valdè inflammati sint, non  
negamus, adesse tamen sensus interni agnoscunt.

Dolor verò pungens satis manifestus, & hujus affe-  
ctus primum σύμπτωμα est. Fitque ob solutionem  
continui membranæ sensu exquisito præditæ; hanc in-  
nuit tum intemperies, tum copia humorum, quæ locum  
illum, quo depulsus est, replendo ac distendendo, conti-  
num solvit, atque sic doloris hujus tensivi causa est; Pun-  
ctorius verò dolor, mordicans ac lancinans, à vitio san-  
guinis, inque eò peccantis Ἰλις acore membranæ par-  
tem arrodente, dependet.

Adest præterea Respiratio difficilis, frequens, ac  
parva, quia pulmones & thorax liberè & quantum dece-  
bat



bat dilatari propter dolorem & tumorem nequeunt, id-  
eoque, quod natura unâ vice respiratione explere non  
potest, id duobus motibus efficere conatur.

Tussis quoque molesta statim sub initium sese pro-  
dens, in principio ut plurimum sicca est, & tunc Pleuritis  
crûda dicitur. Eò enim tempore tenue illud ac paucum  
est, quod molestat & irritat, & hinc ob materiæ paucita-  
tem ac tenuitatem vix attolli potest, tractu verò temporis  
humida fit, & tunc tussis sputum sequitur, de quo vide  
*Gal. l. 2. de cris. c. 10.* Plura de his paulò inferius, ubi de  
causis symptomatum acturi sumus, dicemus.

## CAPUT II

### Pleuritidis subjectum seu par- tem affectam ventilat.

**V**Isâ jam & Nominis explicatione, & Rei Definitione,  
receptâ methodo ad SUBJECTI considerationem,  
feror.

SUBJECTUM DENOMINATIONIS est latus alterutrum  
costarum, Græcis *πλευρῶν*. Dico alterutrum, utrumque  
enim rarissimè simul afficitur.

PRINCIPALE seu Primarium est *πλευρῶν ὑπεξωκή*,  
Membrana costas succingens. *Gal. 6. aph. 33. item 1. de rat.  
vict. in acut. t. 3.* inquit: In Pleuritide membrana costas  
succingens inflammationis radix est.

Sunt equidem, qui pulmones pro primario ac ma-  
gis principali; pleuram verò pro secundo, seu minùs  
principali agnoscunt subjecto. Rationes ipsorum sunt:  
I. Quod sanguis spumofus non possit esse signum inflam-  
matæ pleuræ, quia nullibi, nisi in pulmonibus, & à spu-  
mosâ



2153.  
mola pulmonum substantia sanguis possit spumescere, unde *Galen. 2. aphorism. 47.* In Pleuritide, dixit, spumans aliquando reperitur sputum, quia in pulmone residet Pleuritis. II. Quod Tussis in Pleuritide non à pleura, sed à pulmone confurgat. III. Quod copiosa sputi excretio, & subita sanguinis excretio pulmonum oppidò affectorum indicia sint. IV. Probare conantur assertum per *avensiar* ac experientiam, quod scilicet sæpius contingat reperiri in Anatome pulmones gravius affectos, quàm Pleuram in Pleuriticis, ideoque *Zechius consultatione Medica consul. 26.* referat, multos pro Pleuriticis habitos in Anatome pulmones exhibuisse foedatos & dilaceratos.

Ast experienciâ tùm propriâ, tùm alienâ edoctus in Pleuritide pleuram nonnunquam solam, nonnunquam cum ea pulmones simul inflammari scio: atque hinc ad dissentientium rationes allatas respondeo, I. Falsum, esse sanguinem spumofum nullibi reperiri, nisi in pulmonibus. Contrarium *Galen.* plurimis in locis, imprimis *7. aph. 30. it. Avicenna Pract. 3. c. 5.* testatur, non solum spumam ipsam à pulmone emergere, verùm etiam à latere. Cui & calculum addit *Zacutus lib. 8. c. 6.* qui, spuma, inquit, ex duarum substantiarum mixtione conficitur, humidâ ceu unâ, & spirituosâ alterâ, ita, ut interim dum miscentur, mutuò confringantur rumpanturque in varias & minutissimas partes ex magno violentoque motu, ac collisione unius vel ambarum simul, ut fit in mari ventis agitato, aut ex ebullitione & vehementi calore in lebetibus. Quod & manifestissimum in hamorrhagiis &  $\square$ is febrium ardentium, ubi sanguis admodum spumofus interdum effunditur, ob nimiam particularum sa-



linarum ad se invicem collisionem. Patet itaque ex pulmonibus non solum, sed ex thorace etiam ac aliis partibus sanguinem prodire posse spumosum. II. Tussim in Pleuritide non propter pleuram, sed quod pulmones essentialiter ac primario affectu sint consurgere, nititur fundamento falso. Rectè siquidem Arabum princeps *Avicenna*, cur in pleuritide tussis adsit, hanc dat rationem, quod lædatur pulmo ex vicinia: & *Galen. 2. Cris. 10.* quod Pleuriticis tussiant, ait fieri, quia id, quod defluit ex membrana, pulmoni communicatur, qui subindè ut sese materiã, eãque extranea exoneret ad tussim commovetur. *Sennert. de Pleuritid.* Tussis, inquit, est motus discussivus pulmonum à causa & materiã laceffente, & ad expulsionem irritante, ab extra ad pulmonem delata, quæ est vel humoris vel fuliginis alicujus acredo. III. Neque copiosa sputi excretio pulmonem subjectum primarium facit. Ubi hæc observatur, non quidem est dubium, quin pulmones coafficiantur, verùm hinc non sequitur, affectos illos esse ut principale pleuriticidis subjectum; siquidem non tam pleuriticidis, quàm sputi pleuriticis, & sic symptomatis in excretis sunt subjectum. Neque subita sanguinis excreatio quidquam probat, si scilicet sanguinem transfudare membranas posse attendamus; id quod ex *Gal. l. 5. de loc. affect.* & *Fernel. l. 5. de part. morb. & symptom. c. 11.* satis constat: legi quoque de hisce potest *Rolfinck. l. 6. c. 23. Dissert. anatom.* & *Mæbius Institut. Medic. Disp. 9. r 5.* IV. *Experientia Zechii* perpetuitas deficit. Quamvis enim in pleuriticis pulmones cum pleurã sæpius sint affecti, nihilominus tamen sæpiffimè solam pleuram inflammata plurimi acurati anatomici observarunt. Præterea quoque extra omnem dubitationis aleam positum



αβα.

tum est, nunquam Pleuriticum vitâ adhuc fruentem, sed tunc demum, quando ex pleuritide graviore ac lethali obiit, sectioni fuisse subjectum. In his autem contingentiis ac casibus læsionem ac corrosionem membranæ non solum pleuræ, sed & pulmonum contingere potuisse libenter concedo, transmissâ nimirum eò materiâ purulentâ à pleura, cum inflammatione nimium auctâ omnes thoracis partes per consensum affici posse experientia testetur. Absit tamen affirmare pulmonem semper & in omni legitimâ & verâ pleuritide adeò graviter affici, ut subjectum pleuritis legitimæ primarium dici mereatur. Longè frequentius contingit musculos intercostales inflammari, quos nemo tamen pro subjecto primario agnoscit, namque & illæsis illis pleuritidem dari deprehendimus. Nulla itaque consequentia: pulmo sæpe graviter afficitur, ergò primarium est subjectum. Afferimus potius

MINUS PRINCIPALE subjectum Pleuritis pulmonem esse, cum teste *Barbett. lib. 3. p. m. 69.* hic plerumque etiam aliquid patitur pulmo; imprimis, ut *p. 70. addit*, in graviore Pleuritide. Nec tamen pulmonem solum, sed & mediastinum, pericardium, diaphragma, ac musculos mesopleurios pro subjecto secundario ac minus principali agnoscimus. In pleura enim affectio est per *πρωτοπάθειαν*, in his per *συμπάθειαν*.

Rarò Pleuritis utrumque, latus simul afficit. In lateris tamen modò parte mediâ, modò infima dolor est, quandoque etiam in anticâ sternum attingens, nonnunquam etiam in postica dorsum versus. Hæ partes, licet principale subjectum non sint, à dignotione tamen sedis affectæ exulare non debent. Nam & secundariò laborantî aut laboraturo membro medicina debetur.



1162

CAPUT III

In Causas, immediatam, & mediatas proximiores inquirat.

**D**elineato affectus subjecto, nunc à quibusnam CAUSIS illud afficiatur videndum est.

CAUSA inter quam & affectum alia non intercedit, aliàs IMMEDIATA SEU PROXIMA INTERNA dicta, influxus humorum pleuræ impactus statuitur, & vel quantitate, vel qualitate inflammationem inducens.

MODUS FIENDI Inflammationis talis est. Calidus sanguinis vel puri, vel impuri affluxus, ubi in musculum procubuit, primùm majores arterias replet ac distendit, hinc minores, atque ita res procedit, donec ad minima perventum sit. Per arterias enim intercostales superiores à subclaviis prodeuntes, adque quatuor superiorum costarum spatia ad pleuram excurrentes, ac intercostales inferiores, pleuram ramulis infinitis irrigantes, inque vasa capillaria minutissima desinentes, venisque per anastomosis junctis sanguis ad pleuram tendit. Quæ venæ, & imprimis vena *æçv* sanguinis ex arteriis refluentis receptioni destinata, cum pariter in vasa minutissima capillaria distribuuntur, spatiumque satis amplum pro recipiendo sanguine tam copiosè ab arteriis, mediante pulsu ac impetu majori affluente non habeant, facilè obstruuntur, ac ita sanguinis refluxus læditur, quæ semel obstructione laborantes, magis magisque replentur ac distenduntur, donec tandem molis hujus ferendi insufficientes planè vel aperiuntur, vel distringuntur, ac ita sanguis sive sola quantitate, sive qualitate peccans in pleuræ sub-



2163.  
substantiam dilatam effunditur, qui ibi collectus, etiam mediocri saltem copia sponte mox excandescit, & caloris sensum molestum in substantia membranae, (quatenus in stagnatione mox incipiunt evanescere partes spirituosa, magisque volatiles ac subriles, quae tum acidas, tum salinas temperare alias solent) producit, acriorque factus membranam internè costas succingentem distendit, inflammationem, respirationem difficilem, febrem acutam continuam, doloremque pungentem ac lancinantem, qui membranis proprius est, excitat.

Fluxui autem huic materiam praebet sanguis vel purus vel impurus. Saepè sola  $\pi\lambda\iota\theta$  abundantia ejus causa est hujus mali: hinc *Cous noster l. 15. de morbis*: Sanguis, inquit, per vim calefactus & venas hiantes subiens, cum praecopiam exitum, quò abire possit, non habeat, illic colligitur, eamque ob causam tumor fit, tam diuque adest, quoad ex loco, ex quo dictum est modò, aut per ipsum tumorem repurgatus fuerit, & sanguini cum tempore in pus verso vel non exitus, sive per manus operam, sive sine ea pateat.

Sanguis impurus seu cacochymicus Pleuritidem inducit, quatenus à salibus vitiosâ qualitate praeditis inquinatus est. Sic 1. Bilis, seu  $\ominus$  volatile  $\circ$ sum alkalicum dupliciter ut plurimum peccat, vel nimia volatilitate, vel nimia acredine. 2. Lympha quatenus vel salisior acriorque, muriatica ac ad acidi naturam accedens, vel aquosior seu fluidior, vel pituitosior invenitur. Hos humores omnes qualitate vitiosa affectos, sanguinem variis modis laedere posse, nemo veritatis addictus negabit.

Et Biliosus quidem humor seu  $\ominus$  volatile  $\circ$ sum alkalicum causa pleuritis existit (1) quatenus ratione



2262.

His sui alkali volatilis nimis exaltati cum omni, etiam paucissimo sibi occurrente acri contrario, falso ac muriatico adque aciditatem vergente facile effervesceit, effervescentiâ illâ motum sanguinis impetuosorem excitat, motu hâc impetuoso (fermentanti vino simili) vasa tum venosa tum arteriosa magis distendit, donec tandem distensione hâc nimia rumpantur, ac sanguis præternaturalibus inquinatus contentis in cavitatem pleuræ effundatur, ac inflammationem cum febre, dolore tensivo ac punctorio, respiratione difficili, tussique pariat. (2) Quatenus acredine suâ præternaturali alkali ac lixiviosa cum lymphâ insipida concurrat, effervescentiam nimiam motumque impetuosorem in vasis sanguifluis concitat. Quod manifestissimè etiam extra corpus demonstrari potest, si alkali cuidam acriori pura  $\nabla$  (quæ lymphæ insipidæ vices explere poterit,) infundatur; tantam enim ex combinatione effervescentiam videbis, quantam vix ex mixture summi acidi ac alkali cujusdam expectare poteris. Sic vidi propè civitatem finitimam **Wetsenfeld** ante paucos annos currum calce vivâ oneratum cœlo pluvioso irruente, usque ad ferramenta concrematum. Sic in nuperâ obsidione famigeratissimæ urbis **Straalsund** ac **Insulæ Rigæ** phalaricas ex  $\text{Hg}$ ,  $\text{Fe}$ , pulvere pyrio,  $\text{O}$ , pice ac calce vivâ, omnibus in pulverem reductis ac phalaricæ, secundum artem, inclusis, formatas, per tormenta ac mortarios in hostium ædificia ac naves rejici videbam: addebatur autem in specie calx viva, ne hostes, affusâ  $\Delta$  phalaricam, ædificia incendentes extinguerent. Notum quippe, affusione aquæ flammam non coërceri, sed propter contrarietatem partium  $\text{S}$ arum ac alkalicarum, motumque impetuosum concitiosorem reddi.

*Gale.*



Galenus<sup>1</sup> quod, 5. de loc. affect. 2. & apbor. vj. Membrana, inquit, succingens costas biliosos potius admittit humores. Et Hipp. *αἰματῶν* l. 2. bilis mentionem facit. Alioque in loco: Quin ipsa, inquit, bilis affectum hunc non producit, nisi cum disgregetur, in aliam naturam degeneret, alteretur & corrumpatur.

LYMPHAM quod spectat, hæc, sicut rarò insipida ex vena secta extrahitur; ita præternaturaliter semper salsa magis gustu deprehenditur, &, ut nonnulli volunt, subacida, id quod ex manifestis effervescentiis cum bile in intestinis probant. Hæc pleuritidis causa interna existit. Primò, quatenus serosior acriorque, muriatica, ac ad acidi naturam accedens, sanguini Ole volatili oïso alkalico imbuto mixta, præternaturalem excitat motum, atque hinc per vasa arteriosa ad pleuram tendens, substantiam pleuræ distendit, vasaque sanguiflua vel aperiendo, vel distringendo inflammationem, ac ita pleuritidem parit.

Neque hic effervescentiæ motus solummodo à lympha aciori provenit, sed sufficit etiam lympha insipida, modò copiosior, quæ Ole alkalico bilis lixivioso ac aciori existente, tantam excitat effervescentiam, ut sufficiat pro causâ inducendi pleuritidem, ceu ex superius dictis patet.

Nec tandem Lympha causâ Pleuritidis existit solum prout nimis acris, salsa, acida, vel Δsa; sed etiam quæ viscida ac tenax est, quatenusque unâ cum pituita intestinali Oli volatili bilis miscetur.

Nec obstat, quod lympha viscida tenaxque ad pleuram, à Galeno corpus crassum ac compactum dictam, proptereaque non facile humorem viscidum ac glutinosum transmittentem, non pervenire posse videatur; facile enim





enim, quomodo in intestinis pituita cum lymphâ ac sanguine misceatur, colligi poterit ex nunc dicendis.

Pervenit nimirum hæc, ac miscetur sanguini quatenus vel extra, vel in intestinis existens, solvitur à bilis ☉le volatili, sive aliis aromaticis ☉le volatili abundantibus, quippe, quæ omnia egregiâ vi pollent coagulata & conglutinata in corpore humano dissolvendi. Soluta ab his, adque sanguinem deducta, & unâ cum ipso ad vasa capillaria pleuram perreptantia, propulsa, ibi iterum, sive ab internis, seu externis causis cogitur ac inspissatur, stagnationeque magis acrior reddita, summè de novo effervescit cum ☉le alkalico volatili prætermeante, effervescentiâ hac vasa distendendo, ac tandem distringendo, itaque Pleuritidem pariendo. Habeo hic mihi applaudentem *Sylv. p. 8. 47. lib. 1. c. XLIX. §. 33.* qui, coacervatur autem præternaturaliter, inquit, sanguis propter impedimentum illius refluxui oppositum, & imprimis obstructionem in venis capillaribus canalibusque, arteriis, venisque, interpositis à pituita concrecente frequentius, sanguine autem coagulato rarius &c. Quod & testatur *Hippocr.* dicendo ubi sanguini bilis vel pituita misceatur, se ipso multò calidior evadit. *it. Baron. lib. 1. de Pleuritide, & Schneiderus l. 3. de catarrh. c. 6. p. m. 209.* Dicimus ergò humorem noxium pituitosum, de quo Pleuritis, phrenitis, & arthritidis nati fuerunt, venis recipi, illum etiam massæ sanguineæ misceri, ac per arterias ad varias membranas expelli. Ex his sufficienter patere existimamus, quâ ratione Lympha, pituitaque intestinalis viscida apta reddatur duram membranæ substantiam penetrandi, & inflammationem atque ita pleuritidem inducendi. *vide Alex. Massar. prax. l. 2. c. 3.*

In-



1267  
Inflammati autem præ reliquis membranam pleuram frequentius ideò putamus, quia venis caret grandioribus, & tantùm venulis subtilissimis quaquaversum dispersis constat, quæ, cum natura molles ac tenues sint, ex jam dictis causis tam vehementer obrui possunt, ut distentæ aut aperiantur, aut rumpantur, sicque duplici modo maximè pleuritidem inducant.

Sed ut tandem visis causis proximioribus, eas quæ adhuc restant explicemus, rectè pergimus ad

#### CAPUT IV.

### De Causis Remotioribus naturalibus, & non naturalibus.

Cum non exiguam in cumulandis vitiosis humoribus vim obtineant dispositiones naturales, ideò ex triplici remotiorum causarum fonte primo loco sistimus NATURALES. Has inter eminet

TEMPERAMENTUM; præprimis calidum & siccum; hæc enim, ut omnia corporis contenta acriora, ita facile massam sanguineam ad hunc affectum aptum reddit, imprimis ubi particularis pleuræ dispositio, eaque vel nativa, vel adscititia adsit. Observata hinc fuit in nonnullis annua pleuritis. Sic quoque conformatio venæ ἀξύς addit ἰνὴ βάραν μίεος. *vid. Riol Anthopogr. l. 3. c. 8.*

ÆTAS, & quidem consistens, ac senilis facilius, juvenilis verò rarius pleuritide infestari solet, teste Hipp. 3. *aph. 30.*

Quoad SEXUM, Viri promptius incidunt in pleuritidem propter laborem nimium, & excessus crebriores, rarius verò iis mulieres, teste Hipp. *de mulieribus text. 11.*

C

HA-



HABITUS quoque corporis densior à quibusdam huc referri solet, quod præter copiam sanguinis, insensibilem transpirationem impediatur, ac fuliginibus eliminandis viam præcludendo humores in corpore augeat.

Inter NON NATURALES primò omnium occurrit AER, isque vel æstivus, qui pleuriticis causa existit quatenus spiritu saleque suo volatili spirituascentem magis & volatilem reddit sanguinem, bilemque auget, unde acrior redditur unà cum lympha: Vel frigidus & asper, quatenus lympham, motu præcedente nimio calefactam subito refrigerat, ac ad interiora penetrans, similem ut in coryza liquorem salsum, ac nares interdum erodentem producit, perque glandulas conglobatas in corporis habitum effundit: Vel humidior & frigidior, quatenus pituitosiores efficit lympham, incrassando. Ex his omnibus hyemalis, vel quicumque frigidus, sæpius aliis pleuritidem inducit. Hinc *Aretæus lib. 1. de causis & sign. acutor. cap. ult.* Hyems; ait omnium maximè, dein autumnus, Ver minus, nisi interdum frigidum sit. Pertinet huc subita mutatio aëris è calidò in frigidum, & vice versa; Neque omittendus Aer effluviis putridis infectus, qui epidemias sæpè dat pleuritides, malignas & funestas, qualem *Suido de Cauliaco in Chirurgia sua tract. 2. cap. 5.* recenset.

CIBUS & POTUS si nimium aromaticus, sale volatili abundans ac acrior sit hujus mali ferax, neque excludendus est acidus ac salus. Huc pertinent quoque; alimenta consistentiæ durioris, ut carnes & pisces, fumo indurata, ac coctu difficilia, it. cibi boni & multi nutrimenti, quæ copiosè assumti Plethoræ causæ sunt. Potus quoque frigidus ut & vina generosa pleuritidem cautare possunt.

Mo-



MOTUS & QUIES in defectu vel in excessu peccans  
causa hujus mali existit; & primo quidem *in excessu* qua-  
tenus motu nimio pars serosa particulis  $\Theta$ linis attem-  
perandis ac imbibendis dicata per sudorem nimis dif-  
funditur,  $\Theta$ lia per motum nimium tanquam ab  $\Delta e$  a-  
criores redditi, potentius incalescunt, ac incalescen-  
tiâ illâ motum impetuosiores concitant.

Quod verò à calore potentiori ac  $\Delta e$   $\Theta$ lia majorem  
conciant acridinem, exinde probatur: Si quodcum-  
que corpus  $\Theta$ inum de natura lixiviosa alkalica  $\Delta i$  admo-  
veas, quò vehementiori urgebis  $\Delta e$ , eò acrior, ac ad  
potentius effervescendum aptior redditur, quòd videre  
est in ustione lapidum ad calcem vivam idoneorum affu-  
sa aquâ, it. Ole  $\text{F}$ ri calcinato affuso  $\Psi$ , & similibus. Pa-  
rili hoc modo contingit in corpore nostro, ubi per ni-  
mum motum  $\Theta$ lia, serò sanguinis deficiente, exci-  
cantur, ac minus diluuntur, partibus  $\nabla$ sis nimis exhalan-  
tibus: In *defectu* causa existit, quatenus vitâ nimis desi-  
de  $\Theta$ lia seu humores non debite moventur, & ita acriores redduntur.

SOMNUS & VIGILIÆ causa existunt, quatenus pec-  
cant vel in excessu, vel in defectu.

ANIMI PATHEMATA imprimis ira, quatenus  $\Theta$  vola-  
tile  $\circ$ sum alkalicum bilis magis volatilifit.

EXCRETA & RETENTA, quando vel retinentur quæ  
rejici debebant, vel rejiciuntur, quæ retineri debebant,  
ut in mulieribus suppressiones mensium, retentio lo-  
chiorum, in viris hæmorrhoidum defectus causa hujus  
mali existunt.

RES PRÆTERNATURALES & quidem *interna* possunt  
esse morbi alii pleuritidem excitantes, v. gr. febris, spu-  
tum sanguinis, hæmorrhagiæ narium suppressæ, menses



1170.

suppressi, inflammatio hepatis &c. Res externa causa pleuritis existunt, quatenus lædicitur corpus ab injuriis externis, v. gr. vel ictu vehementi, vel contusione, vel casu, per talia enim venæ arteriæque capillares distringuntur, continuitas solvitur, sanguis extravasatur, extravasatus effervesceat, ac tandem inflammationem parit, quarum multa in praxi occurrunt exempla.

CAPUT V.

De Differentiis Pleuritidis.

Pleuritis differentia; a loco affecto & causis desumuntur.

Ratione loci seu partis affectæ est vel vera vel notba: Vel ascendens, cum dolor ad jugulum magis tendit; vel descendens, cum versus hypochondria vergit. Alia dextrum, alia sinistrum, alia utrumque (quod tamen rarissimè contingit) occupat latus. Alia etiam versus dorsum magis extenditur, cujus meminit Hipp. 3. de morbis, & summo cum ægrotorum damno pro nephritico interdum habetur dolore.

Ratione cause, seu humoris peccantis alia dicitur sanguinea seu plethorica, alia biliosa, alia serosa, alia pituitosa.

Hippocrati I. acutor: dividitur in siccam & humidam. Sicca dicitur ea in qua nihil, vel parum admodum expuitur, non solum in morbi principio, sed etiam in progressu. Cujus causæ esse possunt materiæ morbificæ cruditas, crassities, & visciditas, vel bronchiorum obstructio, vel doloris vehementia. Humida verò est, in qua spurum ab ipso morbi initio satis copiosum apparere incipit. Præterea pleuritis est vel maligna, vel benigna,





gna, alia quoque cum scorbuto qualem sæpius in castris  
ac Harburgi observavi.

πνευμ.

CAPUT VI.

Signa Diagnostica tradit.

Causis tam proximis quàm remotis ordine nunc visis,  
Ad signa diagnostica pergo, quæ dolorem lateris pun-  
ctorium, febrem continuam acutam, difficilem respira-  
tionem, tussim, pulsumque durum esse, supra in defi-  
nitione cap. 1. dixi.

DOLOREM LATERIS PUNCTORIUM primò quod attinet,  
inter signa πνευμωμονικὰ seu inseparabilia pleuritis ille  
recensetur, qui partim ab humorum infarctu, quæ  
membranam inflammatam distendunt, lancinant, ac  
erodunt, partim ex proprietate substantiæ partis affectæ  
membranæ oritur. Membranis enim punctorius do-  
lor est essentialis, ut habet Gal. 5. de loc. affect. cap. 2. quia  
sunt nervosæ tactusque sensu exquisitissimo præditæ. Plu-  
ra de his recensere supervacaneum esset, cum hujus cau-  
sam supra, ubi de dolore egi, satis probatam dederim.  
Dolor hic interdum vagus est, modò ad jugulum ad-  
scendens, modò ad hypochondria pertingens, hæren-  
te illic ac transmissa materia. Ut plurimum noctu ex-  
asperatur.

Alterum Pleuritis signum πνευμωμονικόν est FE-  
BRIS ACUTA CONTINUA: nunc *Essentialis*, nunc *sympto-*  
*matica* dicenda. *Essentialis*, quando v. gr. in principio  
februm continuarum sanguis in venis ebulliens in par-  
tem receptioni illius magis idoneam, quales sunt par-  
tes laterales expellitur, & inflammationem itaque pleu-  
ritidem parit, & tùm febris primùm ægrotantem inva-

Cj

dit,



dit, mox secundo vel tertio die lateris dolor apparet. *Symptomata* verò dicitur, cum dolor lateris ab initio statim ægrotantem corripit, febris verò paulo post, vel statim cum dolore lateris apparere solet.

Tertium Inseparabile Pleuriticidis signum constituit RESPIRATIO DIFFICILIS, cujus causa partim ipsius organi læsio, partim spatium thoracis ab inflammatione pleuræ angustatum, partim etiam bronchiorum angustia l. obstructio est. Quæ oritur ab humoribus serosis tenuibus, sed copiosis, itemque crassis & viscidis, quare quod angustia hæc detrahitur respirationi, id celeritate & frequentia compensatur.

Tussis quartum constituit signum *παθογνωμονικόν*, & oritur a materia purulenta acriori à pleura eò delata, interiorumque bronchiorum pulmonalium membranulam irritante. Membranulæ enim sensu exquisito sunt præditæ, quâ posita sensibilitate, & particularum heterogenearum tangibilium actu in hærentium præsentia, non potest non sensus ille molestus provenire, quem membranula contractione à se amovere conatur, & ita tussiendo sibi inimicum rejicit: Quod & evidentissime patet, si sensibili membranæ narium pulveres acriores vel quicquam mordicans applicetur, hæc statim insurgit, ac natura suâ molestum hoc irritans, per sternutationem excutere conatur.

Sed quæritur hic, quomodo & per quas vias materia purulenta extra pleuram effusa ac transcolata ad pulmones deveniat? Cui aptè *Gal. l. de respirat. difficil. cap. 2.* responder: Transudans & irritans, inquit, materia serosa ac acris purulentaque per pleuram à spongioso pulmone ceu membro *καθ' ἀφ' ἑαυτῆς* pleuræ contiguo imbibitur, à quâ dein ad expellendum irritatur. Per-



1173.  
viam esse ac porosam hanc tunicam testatur *Gothofredus Moëbius* in *fundamentis suis Physiologicis* cap. XIII. p. m. 289. dicendo: *Hoc autem perpendendum quare sæpe pleuriticis statim in principio morbi sanguinem sreatu rejiciant, & mulsæ in cavitate thoracis per vulnus injecta tussiendo rejiciatur, ægerque mulsæ saporem manifeste in ore percipiat; Certè tunica ista poris prædita esse videtur. Vallæus in vivorum dissectione sæpe pisos majusculos à follis afflatu observatos fuisse testatur. Quod & Tulpii observatione manifestum fit l. 2. cap. 15. Nobilis, inquit, Danus vulneratus in bello Germanico & negligentius a chirurgo habitus attraxit in thoracis vacuum turundam plagæ impositam, quam post sextum mensem per os iterum excreavit. Vid. & Anatom. Barthol. l. 2. p. m. 218. & Schenckium Exercitat. Anatom. l. 1. c. 30. p. m. 169. Corpora, inquit, bibulæ sunt membranulæ, spongiæ instar absorbentes humiditatem.*

Stat itaque sententia materiam pleuriticorum a costali tunica proveniente a porosa ac tenuissima pulmonum tunica absorberi, perque bronchiorum extrema orificia sive ramos arteriæ asperæ cartilagineos, qui per pulmonem disperguntur, & ad illius superficiem desinunt absorberi, cumque tussi per asperam arteriam rejici. Et probabile est, si substantia bronchiorum cartilaginea consideretur, ex eo enim est, ut non ita connivere ac concidere valeant ut reliqua vasa, eorumque orificia tunica porosa investita magis patula ac aperta maneat, sicque materiam in thoracis cavitate contentam membranamque porosam penetrantem mediante expiratione, dum thorax quæ in cavitate continentur premit versus pulmonem & in ipsum impellit facilius recipiant. Quod & *Malpighius Epist. ad Borellum* elegantissimè expli-



2174

plicat, quo curiosum lectorem brevitati studens remitto.

Quintum Pleuritidis Inseparabile signum est Pulsus DURUS, *partim* à membrana affecta illiusque tensione, quæ arterias etiam distendit, illæque ob eandem tensionem eam pulsus differentiam efficiunt, *partim* a sanguine præter modum effervescente, ortum trahens.

*Spuria* pleuritis à *vera* distinguitur per doloris exacerbationem ægro in latus oppositum decumbente, quia pars inflammata, ac sanie repleta in verâ pleuritide pondere suo distentitur, talis mihi Harburgi obvenit æger, qui, quotiescunque in latus oppositum decumberet, sentire se conquerebatur atrociorum dolorem, cum rei cujusdam simul devolventis, ac impingentis in latus oppositum perceptione. In *spuriâ* verò musculi intercostales externi inflammati comprimuntur ægrò supra latus affectum decumbente, & hæc qui laborant ex actu vel compressione quâdam externâ, facillè offenduntur. Sic dolor in vera est assiduus, in nothâ interdum remittit. Tussis in illa est humida, in hac ferè semper sicca.

A *peripnevmonia* distinguitur Pleuritis, quod *illam* major respirandi difficultas, febrisque semper acutissima comitetur, *hanc* verò minor: Peripnevmonici quoque non nisi erectâ spirare possunt cervice.

Pleuritis in dextro latere contingens distinguitur ab *Inflammatione hepatis* per *Tussim*, qui in *hac* semper sicca, in *illa* temporis progressu humida est, in hac quoque feces carniùm loturæ similes sunt, in illa non.

TEMPORA, hujus morbi sequentibus signis dijudicantur. In *principio* omnia symptomata pathognomica debiliora sunt, dolor & febris exigua, tussis sicca, vel



1175.  
vel certè sputum exiguum & crudum. In augmento febris dolorque augetur, sputumque copiosius prodit. In statu symptomata omnia sunt vehementiora, inquietudo, dolor capitis, interdum delirium; morboque salutaris existente, sputum concoctum ac copiosum: In declinatione sputum perfectè coctum, libera anacatharsis, omniumque symptomatum remissio adest.

Signa CAUSARUM diagnostica ex temperamento ægrotantis antecedente, præprimis verò ex sputi rejecti colore dignoscuntur. Sic pleuritidem ex plethora ortam indicabunt venarum plenitudo præsertim circa tempora & frontem, item sputum rubeum ac cruentum. Ole volatilè & alkalicò, seu bile nimis volatili ac acriori in causa existente, febris ardentior adest, sitis vehementior, dolor pungens acutior, vigiliæ, oris amaritudo, a tenuis & intensè flava, alvus laxior, & interdum nimis fluida, sputum flavum ac aliquomodo spumosum: Lympham crassiorem seu pituitam pro causa. si agnoverit pleuritis, dolor remissior, & aliquo modò gravativus, propensio iu somnum major, a pallida & crassa, sputum tenax & tardè erumpens, alvusque adstrictior est: Lympham verò sola quantitate peccantem sitis pauca, saliva & excretio multa, a tenuis ac copiosa, sputum tenue & copiosum indicant.

## CAPUT VII.

### Signa Prognostica proponit.

Diagnosin excipit PROGNOSIS, quæ primariò ex symptomatum remissione ac vehementia, sputi rejectione, & virium robore desumitur. Sic, si spirandi difficultas & febris ægrum non adeò infestent, morbum re-

D

mis-



missiorem ac tutiorem ostendunt: si verò dolor vehemens fuerit, tussis magna, in quâ nihil excernitur, febris item acutissima, spirandi difficultas maxima, periculosum portendit eventum. Pulsus quoque parvus, frequens, & valdè durus, mortem prænuntiat.

Facilitas sputi per tussim excreti ejusque copia, dolore remittente, salutem promittunt. Tussiendo autem si vel nihil, aut lividum nigrumque sputum excernatur, perniciosum est indicium *Hipp. l. 2. prognos. c. 8.*

Pleuritis in quâ nihil expuitur, aut in qua sputum, postquam apparere incepit iterum supprimitur, dolore lateris superflite, periculosissima est, siquidem morbum crudissimum indicat.

Sputum valdè sanguineolentum periculosum est: venarum enim ruptionem significat. Sputum viride & æruginosum malum, nigrum pessimum.

Rejectio sputi copiosa dolorem non sedans, malum, nigri pessimum.

Si in initiò morbi, hoc est, tertio aut quarto die sputum largius ejiciatur, morbum brevem; sed si diutius sputum cohibeatur longiorem futurum ostendit. *Hipp. 12. Aph. s. 1.*

Si pleuriticus dolor sine ratione evanuerit, in delirium ægri incidunt. *Barbett. de pleuritide p. m. 72.*

Diarrhoea pleuritidi superveniens mala *aphor. 16. sect. 6.* Quod tamen intelligendum est de immoderata. Si enim moderatus saltem superveniat alvi fluxus apparentibus simul signis coctionis, in corpore præprimis cacochymico, de optato non desperandum est eventum. Quod eodem modo intelligendum de fluxu hæmorrhoidum, hæmorrhagiâ narium, mensiumque fluxu superveniente. Pleuritis in senibus, corporibus admodum robustis,



2277.  
bustis, mulieribus utero gerentibus, asthmaticis, illisque  
qui bis terve hoc morbo laborarunt perniciofa.

Morbo laterali laborantes si in 14. diebus non re-  
purgentur, ii in suppurationem incidunt ac empyici  
sunt Hipp. apb. 8. l. 5.

Pleuritici si peripnevmonici fiant malum. apb. 11.  
sect. 7. ab ignobiliore enim parte ad nobiliorem materiae  
fit translatio.

Pleuritis morbo diuturno succedens mala.

Terminatur autem Pleuritis vel perfecte, vel im-  
perfecte. *Perfekte* quando materia resolvitur, & vel in-  
sensibiliter per transpirationem, (quod tamen rarissime  
& non nisi in spuria contingit: vel sensibiliter ac criticè  
per hæmorrhagiam narium, hæmorrhoidum fluxum, su-  
dorem, alvum moderatè fluentem, item per menses, ut  
plurimum verò & optimè per anacatharsin ac Urinam  
evacuatur, quod sufficienter ex inspectione sputi ac con-  
tentorum in □is oculis sese subjicit; interdum enim  
□a planè purulenta est. *Imperfecte* terminatur vel in  
empyema, à quò, nisi intra 40. dies æger rupto abscessu  
supernè purgetur, in tabem vel phthisin transit, & raris-  
simè tunc perfecte curatur æger: Vel in diarrhoeam,  
quod semper malum teste Hipp: vel in Inflammationem  
diaphragmatis, & tunc plerumque delirantes pereunt.

## CAPUT VIII. De Indicationibus.

Cognitis nunc omnibus tam ad locum patientem,  
quàm ad causas & naturam ac differentiam hujus ma-  
li spectantibus, ad ipsam CURATIONEM proximum est  
me ut accingam.

D 2

Nicitur



2278

Nititur hæc *Indicationibus*. Cumque Pleuritis primariò in inflammatione consistat, quæ oritur ab affluxu humorum, & quidem vel sanguinis solius peccantis quantitate, vel humorum cacochymicorum seu Slium qualitate peccantium, (quæ sunt: (1) Sliis volatilissimis alkalicis seu humoris biliosi nimia volatilitas ac acredo, (2.) Lymphæ serosioris vel nimia quantitas, vel acredo alkalica, ac ad naturam acidi vergens (3.) Lymphæ consistentia crassior seu pituitosi humoris generatio, ac vitiosa cum Sli volatilissimo alkalicis effervescentia) Medicus curaturus, ab his, (quæ causæ existunt quatenus massam sanguineam præternaturaliter inquinant ac inflammationem pariunt) curationem desumit. Er

I. Quidem Inflammatio desiderat, ut humor affluens initiò statim quantum fieri potest cohibeatur, vel retractione, vel derivatione.

II. Fluxurus adhuc, initiò statim evacuandis detrahatur, effervescentiaque Sanguinis, quantum fieri potest, sedetur.

III. Fluxus digerentibus discutiatur, ac si totus discuti nequeat, concoquatur, maturetur, alteretur, resolvatur, et tetur, suppuretur ac expectoretur.

IV. Partes roborentur ac confortentur. Istis Indicationibus satis fieri poterit auxiliis ex triplici fonte desumptis, Chirurgico nimirum, Pharmaceutico, & Dietetico. Hinc

CAPUT IX.

Materiam fontis Chirurgici tradit.

EX fonte CHIRURGICO primò occurrit *vene sectio*, quam





1179.  
quam nonnulli maximè necessariam, nonnulli verò plañe inutilem esse existimant, dicentes cum *Gal. 4. de caus. puls. c. 12.* neutiquam convenire sanguinis missionem, propter vires, quæ ex V.S. existunt imbecilles, quodq; natura ad morbum ferendum magis debilitetur. At ego necessariam semper dico venæ sectionem esse, si ex plethora contingat pleuritis, certior redditus tum propriâ experientia, tum monitis virorum in praxi excellentissimorum ac felicissimorum. Sic *Gal. 1.3. cap. 23. de sanguinis missione inquit: In quacunque thoracis parte sit dolor, dummodo virium adsit permittentia, se semper venam secare.* Ita & Prænobiliss. Amplissimus, Excellentiss. atque Experientiss. DN. D. Connerding, Serenissimi Principis Zellenensis Archiater, ac Practicus famigeratissimus, Vir toti orbi literato ob solidam artis Medicæ cognitionem, variarumque rerum experientiam maximè cognitus, Patronus atque Promotor salutis ut & studiorum meorum ætatem devènerandus, me in hoc addubitantem certissimum reddidit de bono eventu, si venæ sectione curatio suscipiatur, ne metuendo quidem illam in junioribus. Curationem enim ex hac non solum citiorem, sed & tutiorem existuram promittens illâ, quæ fit sine venæ sectione. Cui & *River lib. 7. c. 2. p. m. 437.* calculum addit, ac ad eò necessariam Venæ sectionem in hujus affectus principio existimat ut nunquam omittenda veniat, nedum in senibus, pueris, gravidis, & puerperis, quod tamen pro diversitate absentium, prohibentiumque ac presentium moderandum. *Barbett. 1. 2. p. m. 73.* Venæsectio, inquit, primo morbi die bis, terve, cæteris paribus reiterata, maximo ægris est auxilio.

In Pleuritide verò sine Plethora celebranda quidem est, sed cum judicio ac circumspectione. Prohiben-



tia ac Indicantia Venæsectionem, sequentes declarabunt canones.

(1) In omni pleuritide à plethora orta V.S. necessaria, ac maximo cum emolumento in principio morbi, recte experientia ac autoritate Virorum experientissimorum, adhibetur.

(2) Quod si verò vocatus fuerit Medicus post principium morbi, venâ nondum secta, vel pleuritide crudissimâ, in qua interdum octavo vel nono die vix coctionis signa apparent, etiam post illud tempus tuto celebrare poterit.

(3) Febre nimis acuta existente, viribusque permittentibus, Venæsectio in initio statim convenit: Si quidem hâc opportunè aliquot simulcurativæ adimpleantur intentiones, sanguinis nempe putridi ac vitiosis Olibus ac contentis inquinati evacuatio, nimium effervescentis ac ebullientis alteratio & refrigeratio, & ejusdem à nobilioribus partibus ad ignobiliores per convenientes & congruas vias retractio.

Non negamus tamen Pleuritidem sine venæsectione quoq; curari posse, quod aliquoties à me factum, sed non ita citò ac tutò hoc procedit. *Sylv.* simile quid *praxeos l. 1. p. m. 685. restatur*, inquit: Tempestive exhibito unico sæpe sudorifero, pleuritis absque ulla venæ apertione, sanguinisque missione felicissimè curatur.

Prohibent verò Venæsectionem

(1) Si æger non præstet viribus, vel natura à venæsectione abhorreat.

(2) Si pleuritis sit maligna, absente tamen plethora.

(3) Si Medicus vocatus fuerit (quod sæpius contingit) in statu morbi, quando nimirum natura molitur

Cri-



Crisin. Tunc venâ sectâ natura crisin intendens, tur-  
batur.

nota.

(4) Medicus à V. S. abstineat, quando materia commota facit febrium accessiones, quò ipso tempore si vena secetur, æger interimitur.

(5) Anacatharsis libera si fieri incipit vena non secanda, quia anacatharsis supprimitur, & æger in vitâ discrimen conjicitur.

(6) In ægra pleurítica prægnante vel puerpera circa venâsectionem quæ observanda, vide *River. l. XV. c. XXIV.* quò, brevitati studens lectorem remitto.

Tempus Venâsectionis ex jam dictis patet. Quantitatem sanguinis, & utrum unâ vice, an verò partitis vicibus, quod maximè mihi probatur, sit mittendus, ex ejus copia & virium robore desumit Medicus.

De loco, ac electione venarum maximè quoque controvertunt inter se autores. Qui revulsionem intendunt, in opposito latere venam secare jubent, qui derivationis gratia suscipiunt, in latere affecto. Hoc ut removeatur dubium dico, Venâsectionem *Revulsoriam*, conducibiliorem derivatione esse (1) si morbus adhuc sit in principio, tunc enim humor in partem adhuc conflurus revellitur ad opposita ac distantissima loca, ac quantate peccans, simul evacuatur. (2) quando pleuritis aliquid malignitatis secum vehat, revulsio præstat derivatione, siquidem per illam sanguis non solum à latere affecto, sed & partibus principibus ac nobilioribus procul distrahitur.

*Derivationem* verò, seu sectionem in latere affecto, revulsione melius fieri dico. Si Medicus vocatus fuerit cum morbus principium excefferit, materiaque plurima ex parte jam fluxa ac firmata sit, tunc, inquam, in eodem late-



latere venam aperiendam longè utilius existimo esse. Quod & *Barbett. l. ii. p. m. 73.* confirmat, dicendo ; Instituenda est in brachio affecti lateris, quicquid Theoretici contradicant, eaque interdum largiter.

Electio verò venarum in una eademque parte nulla est, siquidem circulatio sanguinis hocce dubium sufficienter manifestat. Parum ergò interest, quæcunque vena secetur.

In Pleuritide vera, inque ægris venæsectionem denegantibus, CUCURBITULÆ lateri affecto applicari possunt cum profunda scarificatione ; In notha leniori.

### CAPUT X.

## Proponens Curationem ex fonte pharmaceutico secundum Indicationes.

CURATIO nititur Indicationibus, capite VIII. propositis. Priori ac secundæ Indicationi ex fonte Chirurgico quomodo satis fiat, capite præcedente dictum est. Ex PHARMACEUTICO Medicus curans (si ex supra dictis signis diagnosticis, v. gr. ex oris amaritudine, aut alvi dejectione, aut vomitu, aliisque signis cacochymiam, ac lymphæ crassioris, seu pituitæ intestinalis, & bilis redundantiæ subesse cognoverit) satisfaciet, cum *primis statim diebus*, aliquod pharmacum, purgans exhibeat, quod tamen lenius, nequaquam verò fortius sit. Et cautè hic procedendum, exacteque considerandæ vires ægri, respiciendumque ad febrem acutam, statumque morbi, ut longior hic absit, quippe hoc propiore, nullatenus purgantia medicamenta, præpripri-  
mis



AN 83.  
mis fortiora ægro conveniunt, quia tùm omnia sympto-  
mata ingravescent, sanguisque aliàs nimis effervescent  
ac ebulliens à medicamento purgante magis adhuc  
commovetur, viresque magis dejiciuntur, quo minus  
postea vehementiam morbi sustinere valeant: Ut enim  
in vino fermentante (qualis ferè effervescentiæ motus pa-  
riter in febre acuta observatur) non tolles motum illum  
impetuosum additione partium fermentationem magis  
promoventium, ita in febre hâc acutâ exhibitione pur-  
gantium vehementiorum, (quæ per motum fermenta-  
tionis Ælia ac omnes humores fundunt, inque majorem  
excitant diffensum) certè non proderis sed magis oberis.

Abstineat ergo Medicus à purgantibus, præprimis  
vehementioribus (1.) si fluxio jam plurimâ ex parte facta  
fuerit, (2.) si febris nimis acuta adsit, (3.) si vires ægri jam-  
tum langveant, (4.) si cacochymia non tam in primis viis,  
quàm massa sanguinea appareat, & tunc non nisi cum  
morbis ad declinationem pervenerit, illam instituat.

In horum locum substitui poterunt Clysteres, præ-  
primis si alvus sit adstrictior, ut plerumque conringit,  
cautio tamen & hîc adhibenda, ne nimium exinde fluat  
alvus, ac periculosa diarrhæa, quæ, ut supra dictum, in-  
terdum spontè accidit, exoriatur. Formula poterit esse  
talis.

℞. Fol. malv. ʒiial. brassic. rubr. ʒā. Mj.  
Flor. Cham. melilot. genist. ʒā. piij.  
sem. anis. carv. ʒā. ʒiij.  
Coc. in s. q. v. simpl. ad media part. consumpt.  
Colatur: ℞ ℥j. adde Diacatholic. ʒj.  
℞ violar. ʒiij. ① ʒiat. ʒj.  
M. F. Enema.

Dein ratione *Secundæ Indicationis*, si Venæsectione  
sanguinis effervescentia nondum sufficienter sedata fue-  
rit,

E

rit,



rit, ex fonte pharmaceutico ad illam cohibendam exhiberi poterunt statim *in initio morbi*, bis aut ter de die Julepi aliquomodo refrigerantes, admistis appropriatis, componique poterunt ex  $\nabla$  papav. rhæad. sirupo aliquo leniente, v.gr. violar. vel alth. ac  $\Theta$ le-prunellæ.

Ego maximô ac optato semper successu usus sum pulvere antipleuritico Beati mei Parentis, quod non solum febrem respicit refrigerando,  $\nabla$ trando, absorbendoq; acorem illum præternaturalem  $\Theta$ lium sylvestrium, in massa sanguinea fluctuantium, à quibus effervescentia illa præternaturalis oritur, sed etiam mirificè eo ipso, symptomati ægris molestissimo, dolori nempe, opitulatur

Recipit verò  $\Theta$ le-prunell.  $\zeta\beta$  flor. papav. rhæad. corallor. rubr.  $\text{ãã}$   $\zeta\text{ij}$ . sach. violar.  $\zeta\text{j}$ .

M. F. Pulvis, cujus dosis  $\zeta\text{j}$ . pro ratione ætatis varianda.

Si verò æger delicatulus abhorreat à forma pulveris, Julepi prædicti, vel sequens formula in initio morbi poterit concinnari

$\Re$   $\nabla$ carduibened. papav. rhæad.  $\text{ãã}$ .  $\zeta\text{ij}$ . prophylact.  $\zeta\text{j}$ . oc.  $\Theta$ . præp. comll. rubr. præp.  $\text{ãã}$ .  $\text{ð}\beta$ . syr. papav. erme.  $\zeta\text{j}\beta$ .

M. D. S.

Mixtur Löffels weise zu gebrauchen.

Necessariis hilce præmissis, ad ipsum locum affectum, humoremque peccantem, statim curatio est dirigenda, & quidem ratione *Tertiæ Indicationis* humori jam fluxo subsistenti ac stagnanti motus restituendus, & si extravasatus, ac è vasis suis effusus sit, resolvendus, est.

Stagnatio autem sanguinis inhibebitur Medicamentis resolventibus, ac emollientibus, tum externis, tum internis.

Ex-





1185.  
*Externa operantur, quatenus volatilitate sua vique emolliente lentorem humorum ac sanguinis extravasati, penetrando partium substantiam illorumque poros, corrigunt, attenuant, incidunt ac solvunt, ut promptius per poros partium, sive per insensibilem transpirationem, seu sensibilem evacuationem, vel mediante circulatione sanguinis, ad loca excretioni dicata transmitti possint.*

Summa hic laude dignus  $\Psi$  camphoratus, cujus inunctione mirè omnis inflammatio propter summam penetrantiam, cito, tuto, ac jucunde aufertur, omneque coagulatum ac stagnans subito resolvitur, cessante simul dolore atrociori. Ego interdum

*R $\zeta$   $\Psi$  camphorat.  $\mathcal{E}$   
Sp. antipodagrivi B. Parentis mei externi volatilis-  
simi anaticam portionem & laudabilis sanè exinde mihi  
contigit eventus, superposito postmodum emplastro  
emolliente ac resolvente. Si dolor admodum urgeat  
spiritus lumbricorum terrestrium admisceri poterit.*

LINIMENTA si cui arrideant, suppeditamus formulam sequentem, potenter resolventem.

*R $\zeta$ . Unguent Fat. ʒj.  $\odot$  lilior. alb. ʒiij.  
de later. camphor. āā. ʒj.  
M. F. l. a. Linimentum.*

*S.  
Euserliches Sälblein quò calidè latus affectum inungatur.*

Internè verò ad resolvendam inflammationem puitamque viscidam ibi iterum coagulatam, convenient præ reliquis omnibus  $\Theta$ lia volatilia, quæ insigni pollent vi dissolvendi sanguinem extravasatum ac omne coagulatum, qualia sunt sp.  $\Theta$ lis  $\times$ ci volat. ejusque  $\Theta$ ,  $\Theta$  volat C.C.  $\Theta$   $\Psi$ ri volat. aut aliud quodvis, sive in forma

E 2  $\Theta$ lis



1186.

Olis sive spiritus existat, spiritus enim nihil aliud sunt, quam Olia volatilia resoluta, ac facili negotio in Olia iterum transmutari poterunt. Hæc dicta Olia volatilia vis quibusdam appropriatis dilui poterunt, ut sine majori effervescentia ad locum affectum pertingant, ac syrupò quodam simul expectorante gratiores reddi. Formula poterit esse talis.

℞ *Card. bened. fenicul. papav. rhead. ũñ. ʒjß oc. ʒb.*  
*prap. ʒij. syr. papav. erui. ʒj. sp. O<sup>l</sup> volatil. ʒb.*  
M. S.

**Zertheilende Mixtur** / quæ cochleatim sæpius de die exhibeatur.

Huic quoque annumerantur DIAPHORETICA, quæ tam necessaria sunt, ut nunquam omittenda sint, siquidem per has inflammatio resolvitur: Ex omnibus enim quæ morbo huic mirè opitulantur, primarius est sudor. Concinnari poterunt formulæ ex jam dictis ac laudatis modò Olibus volatilibus, vel etiam corporibus magis fixioribus, ac vi rãtandi simul præditis, v. gr. oc. ʒ, C. C. philosophicè præparato, & similibus, quæ citra majorem effervescentiam operantur ac sudorem movent, inque pleuritide à Ole volatili olo bilis orto, ipsis Olibus volatilibus, nisi benè vis appropriatis diluti fuerint, ob minorem effervescentiam ægris melius conducunt. Participant enim de utroque, tum Ole volatili, tum fixo quo ipso absorbetur simul acor peregrinus in primis viis ac sangvine existens dum miscetur, ac ita per sudorem, vel loca alia convenientia unâ expellitur. Hoc præstant quoque *Æra* chymicorum, sed oportet ea esse fixata.

In his omnibus prudentia Medici requiritur, cui ad varietatem causarum, ac circumstantiarum, differentiamque symptomatum semper respiciendum est. Formula poterit esse talis.

℞. oc.





*R. oc. S. prapr. ʒ. diaphoret. aa. ʒb.*

M. F. pulvis S. **Schweiß-treibend Pülverlein.**

na 87.

In forma liquida si desideretur, in usu fuit mihi haec  
genus Tinctura corallorum B. Parentis singulari modo  
parata, non per menstrua corrosiva, ac acida, sed median-  
te menstruo insipido sine corrosione ac calcinatione  
tam ac verum  $\frac{1}{2}$  corallorum extrahens, corpusque al-  
bum relinquens, & egregium hoc est diaphoreticum; ex-  
hibitis enim guttulis vj. ad summum ʒb. æger facillimè  
ad sudorem disponitur, neque est saporis rædiosi: in hu-  
jus locum substituti poterit Tinctura corallorum parata  
cum Ole armoniaco, quæ unà sublimata ac post modum  
cum  $\mathbb{V}$ . extracta non inelegantem suppeditant Tinctu-  
ram pro scopo diaphoretico, sed longe hæc inferiorem.  
Quod si verò extravasatus ac in substantiam pleuræ effu-  
sus sanguis totus discuti ac insensibiliter resolvi nequeat,  
quod in vera pleuritide vix, ac saltim rarissimè obtinetur,  
maturandus ac expectorandus est, quamprimum fieri  
poterit. Quapropter lateri dolenti calidè, post præ-  
gressam  $\mathbb{V}$  camphorati prædicti, vel alterius spiritus vo-  
latilis, v. gr. sp.  $\square$ æ volatilis inunctionem, sequens cata-  
plasma emolliens, maturans ac incidens bono cum suc-  
cessu applicari poterit.

*R. rad. consolid. major. ʒij. polygon. ʒj. flor. chamom. Mj.  
croc. ʒb. pulverisata grosso modo*

Coq. in f. q.  $\nabla$ . simpl. & vini

F. l. a. Cataplasma. S. **Gusertlicher Überschlag.**

Internè verò ægro succurrendum expectorantibus ac le-  
nientibus in forma liquida præscribendis, cum ex calore  
febrili sæpius ita crescat ac exasperetur trachea, ut hu-  
mor expectorandus incrassetur.

Mihi sequens in usu fuit:

E 3

*R. syr.*



2188

℞. *syr. alb. Fernel. ℥j. violar. papav. errat. aa. ℥℞.*  
*electuar. diatragacanth. frigid. ℥j. ʒ. diaphoret. ℥j.*

M. T. Linctus sæpius assumendus ac interdum addidi sp. *olis Armon ℥℞. & longè potentius copiosusque materia purulenta prodiit. Quæ mutanda, prudentiæ Medici conveniunt. Si enim Medicus sputa crassiora esse, ac prodire cognoverit, incidentia & attenuantia erunt admiscenda.*

Si morbus ad vias *quæ* vergere videatur, materia morbosa à Medico, naturæ ministro adjuvanda *DIURETICIS*, qualia sunt rad. *5.* aperient. capill. vener. sp. *Ⓞ* dulc. & simil.

Si FEBRIS valdè acuta cum VIGILIIS ægrum infestet, emulsiones usurpari poterunt. v. gr.

℞. *amygdal. dulc. excorticat. ℥j.*

*sem. 4. frigid. major. aa. ℥℞. lactuc. ℥iij.*

Contunde in mortario marmoreo, sensim affundendo decoctum hordei & liquirit. *℥℞.*

in Colatura dissolve

*syr. papav. errat. myrtin. aa. ℥℞.*

F. l. a. emulsio S. *Brust- und Ruhe-Milch.*

Ex hujus usu nihil si proficiat, ut sæpius contingit, tunc ad opiata deveniendum est. De quibus hoc loco observetur, quod hîc non nisi in minori dosi admistis aliis appropriatis conveniant, in majori enim exhibita quantitate, anacatharsin jam liberam supprimunt, sputumque incrassant. De quibus ritè usurpandis plura videantur in *Opiologia Excellentissimi Dn. D. Wedelii, Patroni ac Promotoris studiorum meorum ætatem devenerandi.*

Si FEBRIS Inflammatione sublatâ non cessaverit, quod sæpius fieri solet cum Essentialis fuerit, curatio eò pro varietate causarum dirigenda.

MA-



MALIGNITAS si subsit, Medicamentis immiscenda sunt appropriata. Idem faciendum si Pleuritidi SCORBUTUS conjunctus sit.

Quartæ Indicationi satisfiet exhibitione CONFORTANTIIUM, qualis sequens esse poterit.

℞. corall. rubr. præp. oc. ꝑ. præp. matr. perlar. aa. ʒʒ.  
confect. alkerm. complet. ʒʒʒ.

Syrup. corallor. rubr. totius citri aa. ʒʒʒ.

∇. meliss. citr. aa. ʒʒ.

M. S. Herzstärkend Safftlein.

Et hæc de Curatione sufficiant. Medicus enim prudens pro differentiis ac causis pleuritidis facilè medicamentorum formulas exhibebit, ac inveniet. Nunc ad ultimum.

## CAPUT XI.

### De Diæta.

Varianda hæc est pro morbi temporibus. *In principio* quia morbus est acutus, tenuis esse debet, renuior verò, quo propior morbi *status* adfuerit, qui tamen acuratissimè determinari non potest, cum non omnium ægrorum una eademque sit constitutiõ ac natura, nec loci, Aris, vel vitæ generis par ratio, à quibus plurimum immutatur victus. *Post statum*, plenior requiritur, sequente enim anacatharsi, majori virium robore ac refectione opus est, cibi verò sint facilis concoctionis v. gr. sorbitiones ex crem. pisan. ovorum, carniùm gallinarum, ac juscula gallinacea, carne ac ossibus conquassatis præparata, avesque delicatiõres, & simil.

Vis



1190

Vitentur verò omnia acida, acria, salsa, & adstringentia.

POTUS sit ▽ hordei, cui incoctum sit parum cinnamomi & rad. glycyrrhicæ, vel alia ▽ appropriata, julepò aliquo mista, quos præstat tepidos potius, quàm frigidos exhibere, vel si æger ab his abhorreat, cerevisia tenuis substituatur. A vinò omnes abstineant, præprimis illò, qui multum F̄ri in forma fluida in se contineat, cum in hoc affectu maximè nocivum sit.

AER sit purus & moderatè ad caliditatem vergens, frigidus enim Δ obstruit, & nervosas partes contrahit, doloremque auget

SOMNUS ægro maximè conducit, quapropter si VIGILÆ urgeant, supradictis arceri possunt.

ALVUS fervetur aperta.

MOTUS ANIMI vehementiores caveantur. Reliqua pro ratione circumstantiarum mutanda prudenti Medico relinquenda.

Tibi verò, Mome indignabunde, si experienciâ comprobatoria sint, tradas, Ego pro præstito auxilio Divino DEO soli gloriam dico, huic autem operi impono

F I N E M.






153154

X2615746

R

W 17







ub  
in  
sl  
eo  
ca  
t,  
ni  
g  
tu  
r l  
fo  
u:  
W



B.I.G.

Farbkarte #13

30? 31 1857

I. N. 7.  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# PLEURITIDE,

QVAM  
AUXILIANTE SUPREMO NUMINE,  
AC CONSENTIENTE  
GRATIOSISSIMO, IN INCLUTA SALANA  
SENATU MEDICO,  
PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO VVILHELMO

*Graußen /*

PHIL. ET MED. DOCT. PRACT. ET  
CHIM. PROFESS. PUBL. CELEBERRIMO, FACULT.  
MED. SENIORE, ET S. R. I. NAT. CURIOSOR. ACAD.  
COLLEGA SPECTATISSIMO,

DN. PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO SUMME OBSERVANDO,  
PRO LICENTIA

SUPREMOS IN ARTE MEDICA HONORES, IN-  
SIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNITER  
AC LEGITIME CAPESSENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHAN CHRISTOPH AUSFELD,  
PRACTICUS HARBURGENSIS.

AD DIEM JANUAR. M. DC. LXXXI.  
*Horis ante & pomeridianis.*

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

